

24. Quemadmodum enim sine ordine, pax & tranquillitas Ecclesiae conservari haud potest: Ita vix etiam cultus divinus rectè peragitur, ubi εὐχρημοσύνη exulat; siquidem ritibus illis externis decenter usurpatis, satis probabiliter ostenditur quid tribuamus verbo, quid Sacramentis, quid reliquis exercitijs Ecclesiasticis, ad τὰ ζῶν καὶ εὐχρημοσύνην unicè compositis.

25. Patet inde quid Sacramentariorum vertigo monstri alat, dum ipsi nostrorum hominum externam reverentiam, quam participaturi sacris mysteriis, vel genuflexionibus, vel aliis ceremoniis Ministerio Ecclesiastico exhibent, miris cachinnis & sarcasmis exagitant. nempè illos hoc pacto ipsis quoque Sacramentis nullum prorsus vel certè minorem quàm hominibus honorem atq; reverentiam tribuere.

26. Etsi enim Sacramentorum substantiæ ex ejusmodi externâ ac civili observantiâ nihil vel accedit vel decedit: interim tamen de interna fide, inde haud fallibile peti potest argumentum, & simul alij quoque ad sacrorum cultuum reverentiam & congressuum publicorum in Ecclesia (qui à Cyclosum & porcorum concursationibus distare debent) amorem incitari possunt.

27. Quartum & postremum κριτήριον est, ne conscientiae talibus ritibus onerentur, hoc est, multitudo & copia eorum vitetur, quæ hominum & cum primis infirmiorum Conscientias facile gravare & offendere posset. Et